PRECES POST MISSAM CELEBRATAM
A SACERDOTE ANTE ALTARE GENUFLECTO DICENDAE

Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus.
℟. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen. *(Quod dicitur ter)*

Salve, Regína, mater misericórdiae; vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules fílii Hevae. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eja ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Deus, refúgium nostrum et virtus, pópulum ad te clamántem propítius réspice; et intercedénte gloriósa et immaculáta Vírgine Dei genitríce María, cum beáto Joseph, ejus Sponso, ac beátis Apóstolis tuis Petro et Páulo, et ómnibus Sanctis, quas pro conversióne peccatórum, pro libertáte et exaltatióne Sanctae Matris Ecclésiae preces effúndimus, miséricors et benígnus exáudi. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Sancte Míchael Archángele, defénde nos in práelio; contra nequítiam et insídias diáboli esto praesídium. Imperet illi Deus; súpplices deprecámur: tuque Princeps milítiae caeléstis sátanam aliósque spíritus malígnos, qui ad perditiónem animárum pervagántur in mundo, divína virtúte in inférnum detrúde. ℟. Amen.

Deinde dicitur ter:

℣. Cor Jesu sacratíssimum.
℟. Miserére nobis.